

velitis. Itaque nec opus fuerit ad eorum cognitionem egregias mentes vestras accendere, quæ Vobis exponendi provinciam Serenissimus Meclenburgi Dominus Clementissime mihi demandavit. Gratia vero atque utilitas Historiarum tam late diffunditur, ut iners sit atque vecors qui non perspiciat. Est earum cognitio, veluti instructissimi cujusdam thesauri peruestigatio, & officinæ vario rerum apparatu ad prudentiam hauriendam coruscantis usus; quis non inardescat? quis egregiam illam in perscrutandis antiquitatum monumentis non anhelet? Sed non diutius Vos detinebo. Paucis ergo quæ mens mea sit, aperiam. Scripsit aliquot ab hinc annis, Vir admodum Reverendus, atque Ampliss. Dn. JACOBUS à MELLE Philosoph. Magister fulgidissimus, & in Civitate Imperiali Lubecensi ad Ædem B. Virginis Archi-Diaconus merentissimus, Fautor atque Amicus meus Æstumatissimus, pro ea quæ valet Historiarum peritia plane singulari, libellum Historicum, multiplici eruditione refertum, quem dixit *Archontologiam Pugillarem*; cumque non sine magna utilitate recentiore potissimum Historiam ad ejus ductum perditici noverim, è re vestra esse judicabitis, hoc nitidissimum scriptum, publicis lectionibus, mecum attentius pervagari. Ego vero sicuti Optimi Maximi benignitatem mihi promitto, ita nec de Vestro, *Commilitones Optimi*, promittitudine dubito, quæ dicentem sequi, solitoque favore prosequi velitis. Initium DEO V. capiam futuro Jovis die, hora antemeridiana IX. His Valetate *suavissima perora!* P. P. MDCCIV. d. 12. Novembr.

Coll. Diss. A 187, muc. 37